

05

A

2497





I. N. 7.

DE

HISTORIA IMPERII
ABYSSINI,

Quod sub

PRESBYTERO JOHANNE,

Germanicè

Priester Johann/

esse dicitur:

DISPUTATIO PRIMA,

quam

Publicè ventilandam sistunt

PRÆSES

M. DIETERICUS LÜDERS,

STADENSIS,

&


RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPH. Scharff/

EGERANUS.

Ad d. ~~Febr.~~ in Audit. vet.

22. Mar



WITTEBERGÆ,

Literis WENDIANIS, excudebat Daniel Schmaß.

Acad. Typ. A. clō lōc LXXI.

I. M. J.
DE

HISTORIA IMPERII
ABYSSINII

Good find

PRESBYTERO JOHANNI

Gummi

Presbyter Johann

off. d. d. d.

DISPUTATIO



05 A 2497

JOHANNES CHRISTOPH GARDIN

1688

1688

WITTEBROD

1688

WITTEBROD

WITTEBROD

WITTEBROD

WITTEBROD



I. N. J.

HISTORIAM IMPERII ABASSINI
aliquot impofterum Disputationibus descripturi, eum
in scribendo modum servabimus, ut Scriptionis nostra
relam ordiamur à nominibus, quibus insigniri solet
inchtus Abassinorum Princeps cum Subditis suis; eamq; per-
texamus juxta triplicis Hierarchiæ ductum: secuti fidem
eorum, qui res Abassinas sedulâ nobis indagacione quærentibus
tradidere. Q. itaq; D. B. V. esto.

CAP. I.

ONOMATOLOGICUM.

ABassinum Monarcham à suis NEGUM, quod Regem
significat, sæpissimè nuncupari, certum est ex *Alvares. Itin.*
Æthiop. Cap. 85. & alibi passim, nec non *Ludolfi Lex. Æthiop. Col.*
245. Eundem quoque, quod regna multa jure subjecta ipsi essent,
Imperatoris appellationem obtinuisse, patriâq; lingvâ ACEGUM,
quod *Imperatorem* sonat, dici, author est *Godignus de Rebus Abassi-*
nis Lib. I. Cap. V. p. 18. A Persis PRÆSTARCHAN, quod *manci-*
piorum Regem notat, dictum fuisse, tradit *Golius apud Hornium*
Not. ad Sulpit. Sever. L. I. p. 242. Sic autem dictum vult, quòd
gentis Abyssinæ mancipia toto orbe notissima sint. Nec diffitemur gen-
tem Æthiopicam olim satis vilem, apud Judæos etiam pro male-
dicta habitam fuisse, propter imprecationem Noæ *Gen. IX. 25.* quò
pertinere dicitur illud Domini verbum *Amos IX. 7. numquid non ut*
Filii Æthiopum estis mihi Filii Israël? Et notum est ex *Rabbinorum*
Scriptis, quòd Hebræis אֲשֵׁר אֶתְיוֹפְיָא & אֲשֵׁר אֶתְיוֹפִים *Æthiopes malum,*
A 2 Servi-

Servitutem, & servos denotet. Onirocriticum Judaicum R. Hai
 הרואר עצמו כארץ כוש בצורה גדולה יהיה *qui in Æ-*
thiopia se vivere somniabit, afflictionem magnam portendit. Scholiastes
 אתר מן הכושיי / מן המשפחה שפלה *Electuarit gemmarum*
Tu ex Æthiopibus es, id est, ex humili familia. Vid. Gaulmyn Not.
ad vitam Mosi L. I. c. 6. p. 219. Sed hæc fortè ad Abyssinos, inte-
 rioris Æthiopiæ incolas trahenda non sunt, de quibus constat, quòd
 adeò libertati studuerint, ut propterea in Tabulis Geographicis Æ-
 thiopia *AGOAS liberorum regio* nuncupetur, ad eum ferè modum,
 quò *Germani Francorum* nomen, in libertatis suæ argumentum, sibi
 imposuerunt. *Vid. Ludolf. Lexic. Æthiop. c. 404.* Quod imperitis
 quibusdam dare potuit ansam opinandi, *Abassiam* Æthiopicâ lingua
 idem esse, ac gentem liberam, quæ nulli unquam externo Principi
 fervierit, nullis fuerit armis subacta, nullius Tyranni sub imperium
 missa, de quo infra commodior dicendi locus erit. Ut adeò non
 sinè magno libertatis Abassinæ præjudicio *mancipiorum Rex* audiat
 inclytus Abassiae Imperator.

II. Verùm sub his nominibus Europæis non innotuit poten-
 tissimus Æthiopum Princeps. Tria præprimis invenio, quæ magnâ
 celebritate per Europam feruntur: quorum duo, *PRETEJANNES*
 & *PRESBYTER JOHANNES*, German, Priester Johann
 recepto equeidem, sed magnò superioris seculi errore in communem
 Regis Abyssini appellationem abierunt; quibus adde tertium
PRETIOSI JOHANNIS titulum, recentiorum Scriptorum
 usu magis detritum. Quod alii *PETRUM JOHANNEM*
 appellant, nimis abs re est; sicut & illud, quòd *Jac. Breuning Itin.*
Orient. pag. 236. peculiari cognomento eum vocat *Lederweck*;
 cujus vocis origo valdè obscura est, nec habeo quod de eâ dicam,
 nisi magno errori ortum suum debere. Reliquas appellationes:
Prato - vel Prato - Johannes, Prato - Giani seu Giovanni, Prestecha-
no, Restegano &c. haud dubiè peperit varia *PRETEJANNIS*, nec
 non vocabuli Persici פרסגאני *Prestegani*, cujus meminit *Scali-*
ger VII. Emendat. Temp. p. 679. inflexio, obstetricante idiomatis
 partim peregrini imperitiâ, partim vernaculi discrepantiâ.

III. Cùm ex istis, quibus Æthiopum Rex nobis innotuit no-
 minibus, celebratissimum sit *PRESBYTERI JOHANNIS*
 nomen,

nomen, æqvitati consentaneum esse videtur, ut primam ei expen-
dendo curam impendamus. Apud omnes in confesso est, sicut olim
Ægyptiorum Regibus *Pbaraonis*; Philistæorum *Abimelechi*; Per-
sarum *Sophi & Sbac*; Romanorum Imperatoribus *Cesaris & Augusti*
appellatio communis fuit; ita *Presbyteri Jobannis* nomen regiam
quorundam Christianorum Principum multis abhinc seculis de-
notasse dignitatem; hos verò non apud Æthiopes, nec in ulla alia
Africae parte, sed in Asia imperasse, peritiores conveniunt. A qui-
bus in tantum abit *Scaliger*, quòd existimet Æthiopes, quò tem-
pore *Presbyteri Job.* notitia ad nos pervenit, in Asia longè lateq;
rerum potitos fuisse, donec à Tartaris ex Oriente pulsi, in Æthio-
piam reversi sunt. Verba ejus sic habent l. c. *Constat ante CCC.*
annos quosdam Æthiopes Reges in Asia, præsertim in Drangiana, fini-
bus Susiana, & in India latè imperasse, donec Imperatores Tartarorum
eos totâ Asiâ depulerunt, victos prius, ut ajunt, à Cingi Tartarorum
Rege, interfecto Uncam eorum Imperatore. Deinde adjiciunt à
Cincano Filio Cingis, & ejus Filio Bathino Cam, omnes illos Æthiopas
penitus ex Moim & Sinarum regno ejectos, & in Africae extrema usq;
compulsos. Hæc *Scaliger*, qui nullum assertionis suæ Authorem
laudat, quin potius ipsemet vanitatem ejus redarguit, dum extemplò
subjicit: *Nobis verò per mirum videtur, gentem bodiè nauticæ rei*
penitus ignaram, adeò terrâ marisq; potentem fuisse, ut ab Æthiopiâ
ad Sinas usq; Imperii fines propagârit. Nunquam hoc credit, qui
Abyssinorum mores & vitam penitus cognita habuerit. Addit qui-
dem p. 680. *Sed urgent nos argumentis. Ajunt enim Æthiopum Im-*
perii testes adhuc superesse cruces Æthiopicas in Giapan, Sinis & alibi.
Præterea templum Thomæ Apostoli in regione Malabar situm, structu-
râ, sicut & aliis monumentis merè Æthiopicum esse. Addunt nomen,
quod neq; Persicum est, neq; Indicum *HAVARIIA.* Hoc planè
Æthiopicè *Apostolum* significat, quæ vox etiam illis cum Arabibus
communis est. Scribit etiam *Andreas Corsalis*, in regione India, cui
nomen *Colan*, duo sepulcra esse: alterum *Thomæ Apostoli*, alterum
Æthiopis cujusdam ex regione Prestegiani, qui ipsum Apostolum comi-
tatus sit. Verùm hæc tanti non sunt, ut Asiaticum aliquod Æthio-
pum Imperium arguant, cum nihil aliud evincant, quàm ex Africa
in Asiam quasdam Christianorum Æthiopum colonias, ad propa-
gandam

gandam illis in locis fidem Christianam vel sponte suâ abiisse, vel persecutionum metu compulsas fuisse. Ut aded causa nulla sit, quare *Presbyterum Johannem* origine Afrum ex *Æthiopia* in *Asiam* migrasse, aut ex *Asiâ* pulsum in *Æthiopia* Imperium condidisse dicere velimus. Accedit quod *Chronologia Regum Æthiopiae*, quæ latina extat in Vaticano, nullam istius transmigrationis mentionem faciat, teste *Kirchero Prodr. Copt. C. IV. p. 103.*

IV. Quamvis verò certum sit, & magna meliorum Authorum pars statuatur, *Presbyterum Johan.* non Africanum, sed Asiaticum fuisse; quò tamen locò vastissimi Imperii sedes extiterit, acri indagine quæsitum est hætenus. Nonnullis *Armenie* Dominus fuisse dicitur. Verùm obstat, quod Romæ superioribus seculis A. C. 1145. quidam Armenorum Episcoporum Legatus eum *ultra Persidem & Armeniam in extremo Oriente* collocaverit, uti refert *Hotting. Topograph. Eccl. C. V. p. 124.* A quo parùm distant ii, qui *Catajam* ei assignant, non Americanam illam, cujus meminit *Horn. Orig. Americ. Lib. IV. c. 8.* sed Asiaticam, quam idem ille C. 2. facit duplicem, unam *karakitbai*, id est, *nigram*, alteram simpliciter *kitbai* dictam. *Karakitbai* incultiorem esse perhibet, & magnam *Tatarie* partem, quæ extra *Sinas* jacet, complecti. Reliquum *Cataje* jam ante annum cl^o CCL. ad *Sinam* spectasse, ex *Rubruqui & Marco Paulo* (rectius *Polum* dixeris, quod *graculum* notat *Ital*is, quorum tres in insignibus suis referebat *Marcus*, teste *Johan. Baptist. Rhamnusiô in vita ejusdem*) *Venero* docet. Idem ferè dicit *Godignus* l. c. licet enim pro comperto habeat, quicquid hodiè *Cathajum* est, ad *Sinas* pertinere, nec urbem esse ullam aut regnum hæc dictum voce, quod NUNC extra *Sinarum* terminos reperiatur; non tamen credit procul distitum à vero, præter illam terræ partem, quæ *Cathai* nomine intra *Sinarum* limites reperta est, aliam esse Orbis plagam, multò ampliorem per *Asiaticos Scythas*, & *Massagetas*, vicinosq; circum effusam populoc, *Sinarumq; finibus à meridie & occasu conterminam*, cui *Cathai* seu *Cbetai* nomen fuerit. Eadem non solùm mens est *Kirchero*, sed iisdem quoque verbis mentem suam exprimit, quamvis suppressô *Godigni* nomine, tum in *Prodr. Copt. l. c. p. 87.* tum in *Chin. Illustr. Part. II. C. I. p. 47. a. Cap. autem III. p. 62. b. & 63. a.* explicat, unde tanta circa genuinum *Cataji* Situm nata sit opinionum confusio.

Notum

Notum est, inquit, ex *Historia Pauli Marci Veneti, Haythonis Amani*, aliorumq; , tum vel ex ipsa *Chronologia Sinarum*, *Magnum Gham Tartarorum Imperatorem*, quem *Cublai* alii, nonnulli *Ulcam* aut *Uncam* vocant, ann. 1256. irruptione per muros facta, universum *Sinarum Imperium* (quod tum in duo Imperia divisum, quorum unum versus *Boream Catai*, alterum versus meridiem *Mangi* vocabatur) occupasse; unde uti jam alias pars *Borealis Gbinæ* cum ceteris extra muros regionibus sub nomine *Cathay* passim vocabatur, ita quoq; occupatio jam *Sinarum Imperio*, universum *Regnum* per *Tartaros & Saracenos* circumvicinos introducto nomine *Cathai* vocabatur, nomine ceterorum circumjacentium regnorum extra muros deleto, ita ut ab illo tempore illud solum, quod intra muros conclusum, vastum *Sinarum Imperium* ab iis, qui ex *Indostan, Usbec, Camul*, aliisq; mediterraneis regionibus negotiandi causa illuc quotannis proficiscerentur, *Catajum* appellatum sit.

V. Ex dictis itaque constat, geminam olim *Catajam* fuisse, quæ partim extra *Sinas* ingentem *Tartariæ* tractum, partim intra *Sinicum Imperium* Septentrionales ejus *Provincias* complexa fuerit; quamvis hodiè nullum amplius *Cathajum* extra *Sinarum terminos* reperiatur. Sic enim à *Matthæo Riccio*, *Societatis Jesu Religioso*, apud *Sinas Præposito*, geographicâ demonstratione prius inventum, & postea à *Benedicto Goez*, ejusdem *Societatis* homine, *Cathajum* terrestri itinere ex industriâ investigante, satis exploratum esse dicit *Godignus*. In eandem quoque sententiam allegat *Kircherus, Nicol. Trigantium, Alvarum Samedum, Michaëlem Boimium, Martinum Martinium, Joannem Gruberum, Joannem Adamum &c.* in *China* multis annis commoratos, nec non *Geographicarum rerum* notitiâ instructos, quorum testimonium in causâ *Geographicâ* non omninò nullum esse debet.

VI. Quæ de duplici *Cataja* modò proposuimus, eum in finem allata sunt, ut genuina *Pretejannis* sedes eò distinctiùs nobis innotescat. Non enim *Sinicam* illam, sed *Tartaricam* *Catajam* Imperio *Presbyteri Jobannis* tribuendam esse putamus, præviò *Rubruqui & Marcò Paulò Venetò*. Istius verba leguntur apud *Horn. Lib. IV. Orig. Americ. C. II. p. 226.* Quò, inquit, tempore *Galli Antiochiam ceperunt*, quidam nomine *Con Can* dominabatur in *Karakubai*

kitabai & contiguis ad Septentrionem regionibus, unde egressi sunt Turca. In ea Karakithai quidam Nestorianus opilio, potens Princeps populi Tayman fuit, & post obitum Con Can regnum Catajae invasit, ac à Nestorianis Johannes dictus est, qui multa de ejus magnitudine confinxerunt & mentiti sunt, unde tot in Europam fabula de illo Presbytero Johanne dimanarunt. Hæc Rubruquis, qui ante quadringentos, & amplius, annos S. Ludovici Galliarum Regis mandatò Tartariam perlustravit, & itineris sui rationes literis mandavit: quò nemo unquam in rebus Tartaricis diligentior & magis fide dignus, judice Horn. Lib. III. O. A. C. 13. p. 189. Ab ejus narratione non procul absunt, quæ tradit M. P. Venetus L. I. c. 65. Ab Egrigaja, inquit, Provincia eundo versus Orientem, iter ad Tenduc, (quæ Provincia Tartarica est) ducit, ubi sunt Civitates & Castra multa, ubi etiam manere consuevit Rex ille magnus & toto terrarum orbe nominatissimus, vulgò Presbyter Job. dictus. Ita M. P. Venetus, qui non multò post Rubruquin ultimi Orientis regna oculatà fide nobis detexit, & per Nobilem quendam Genuensem linguà Latinà describi curavit, unde in Italicam translatio facta est, teste Rhamnusiò l. c. contrà quàm Vossius, ipsum in gratiam popularium, linguà primum Italicà Historiam suam consignasse, inde verò in Latinam traductam fuisse scribit II. de Histor. Latin. 60. p. m. 490.

VII. Atque ista fuit genuina sedes Imperii Presbyteriani, cujus amplitudinem tantam fuisse perhibet Kircher. Prodr. Copt. l. c. p. 100. ut magnus ille Pretejannes duos & septuaginta Reges, partim Christianos, partim Ethnicos suæ subditos habuerit ditioni. Id quidem pro certo asserere non audeo, nec tamen dubito, quin res Christiana in ultimo etiam Oriente haud contemnenda ceperit incrementa. Quando enim in Syriae, Ægypti, vicinisq; Æthiopiæ locis ad supplicia sævissima Christianæ vitæ Sectatores passim inquirabantur, verosimile est, eos diræ persecutionis metu sedes suas reliquisse, ac longò paulatim exiliò in extremas Asiæ regiones pervenisse. Vastissimi Imperii gloriæ ante quingentos, & amplius, annos finem imposuit Cingis Tartarorum Dux, teste Rubruqui, cujus verba sic habent l. c. Ei (Presbytero Joh.) Frater fuit & ipse potens opilio, nomine Unt, qui habitavit trans montes Karakithai, itinere trium Septimanarum à fratre suo Johanne remotus. Subjecti
ejus

ejus vocabantur *Crit s. Merkit*, & etiam erant Nestoriani. Oppi-
 dum ejus erat *Caracarum*; Sed ipse defecit à Christo ad idola &
 Fratri suo *Johanni sine mascula prole defuncto* successit, ac nomen
Chan assumpsit. Quindecim dierum itinere ab ejus pascuis habita-
 bant gens inops & misera *Moali*, his vicini erant *Tatari*. Cumq;
Unt Can usq; ad *Moalos* cum suis gregibus pervenisset: quidam faber
 ferrarius inter *Moalos*, nomine *Cyngis*, tot pecora clam abegit, quot
 potuit. Pastores conqveruntur apud *Unt Canum*, is cum exercitu
 ad *Moalos* inquisiturus illum abigeum contendit: Sed ipse ad *Ta-*
taros confugit, & inter eos latuit. *Unt Can* depraedatus *Moalos* &
Tataros, ad sua reversus est. Tum *Cyngis* ad *Moalos* & *Tataros*
 dixit: quia non habemus Principem, ideo à vicinis opprimimur.
 Creatus à *Tataris* & *Moalis* Dux, exercitu comparatò *Unt Canum*
 subito oppressit, & in *Catajam* fugavit. Sic cum *Tataris* suis pro-
 gressus, nomen eorum longè latèq; propagavit. Neqve tamen
 Presbyteri *Johannis* memoria tum penitus abolita fuit, siquidem
 constat ex *M. P. Veneti* narratione, quòd ipsius ævo extiterit
 Rex quidam ex Posteritate Presbyteri *Job*, quamvis multum remi-
 sisset à pristinò splendore, factus magno *Chamo* tributarius.
Modò, inquit, l. suprà c. *Provincia illa tributa pendit Magno*
Cham, habens Regem de progenie Presbyteri *Job*. Quin imò *An-*
tonius Andrada Lusitanus, qui ann. clò *Ioc* XXIV. è regno Magni
Mogolis in *Catajam* profectus est, suò adhuc tempore Presby-
 terum *Job*. in ea superfuisse scribit apud *Horn*. l. c. p. 229.

VIII. Cæterum mirari subit, unde Rex iste Presbyteri no-
 men adeptus sit. Si, quod memorat *Armenorum Episcoporum*
Legatus, quem suprà §. IV. laudavimus, sacerdos quoque gentis
 suæ extitisset, appellationis ratio expedita foret. Sunt qui in
 honorem *Jonæ Vatis Joanam* apud suos dictum putent; in his
 tamen occiduis Ecclesiæ Latinæ partibus *Joannem* solitum ap-
 pellari, additò Presbyteri vocabulò, non quòd is Sacerdos esset,
 sed quia Archiepiscopi Primatis more, crucem erectam, quo Re-
 ligionis Christianæ Defensorem se prædicabat, sibi præferri cura-
 bat: idq; *Kircherò* judice, haud improbabili conjecturâ asseritur.
Scaliger eum lingvâ Persicâ **پَرَسْتِگَانِي** PRESTEGANI ap-
 pellatum fuisse perhibet: Id autem (verba sunt *Scaligeri*) est
 B Lingvâ

Lingvâ Persicâ ἀποστολικός, nam in eâ Lingvâ פֶּרְסִיתָנָן sunt
 Ἀποστολοι, & פֶּרְסִיתָנָנִי ἀποστολικός. Verùm Scaliger malè
 scripsit פֶּרְסִיתָנָן & פֶּרְסִיתָנָנִי permutando Gbaf cum Gim.
 Nam quò pertineret istud פֶּרְסִיתָנָן? Persis פֶּרְסִי est anima, vid. Grav.
 Gramm. Pers. p. 20. quod huc minimè quadrat. Debebat ergò
 scribere פֶּרְסִיתָהכָּן, vel saltem פֶּרְסִיתָכָּן & פֶּרְסִיתָכָּנִי. Nam
 פֶּרְסִיתָהכָּן Persicè est mittere, vid. Lud. de Dieu Rudiment. Pers.
 p. 9. undè פֶּרְסִיתָהכָּן ἀπόστολος, missus, & hinc fit pluralis, non
 addito פֶּרְסִי, sed vel פֶּרְסִי, vel פֶּרְסִי. Conf. Dieu p. 43. 44. 45.
 Ex plurali verò פֶּרְסִיתָכָּן, additò י, oritur פֶּרְסִיתָכָּנִי. Sca-
 ligeri scriptionem & mentem cum aliis expresserunt Brianus
 Waltonus Prolegom. XV. in Bibl. Polygl. n. 2. nec non Bochartus
 IV. Phaleg. 26. p. 308. & Calixtus Appar. p. 72. 99. Nos rem in
 medio relinqvimus, nec Regem istum à Persis Apostolicum dictum
 fuisse, temerè negantes; cum simile exemplum habeamus in
 Rege Hispanico, qui Catholicus, & Gallo, qui Christianissimus ap-
 pellari consuevit: nec titulum istum pro vero venditantes, cum
 idoneò ad id probandum teste destituamur, Siquidem Scaliger
 nullo prorsus testimonio assertioni suæ fidem facit, nec ipsius
 autoritas rem conficere potest. Si tamen vera est nomenclatura
 Persica, improbabilis non est, quosdam ob idiomatis inscitiam,
 ex Presteghani Pretejanem, alios Presbyterum Johannem
 fecisse.

IX. Quò tamen errore Presbyteri Job. nomen Abassino Im-
 peratori tributum sit, jam exponendum erit. Communiter ap-
 pellationem istam Lusitanis acceptam ferunt, nec immeritò.
 Videlicet, ut rem ab ovo (quod dicitur) ordiamur, Johann. II.
 Portugallie Rex, postquam ad beatas Arabiae gazas, & Indici lit-
 toris opulenta commercia mentem & cogitationem adjecisset,
 nihil prius, nihil antiquius habendum duxit, quam ut potentis-
 simi Abassinorum Imperatoris, tenui famâ & auditione jam sibi
 noti, benevolentiam compararet; existimabat enim, quòd longè
 latèq; imperaret, fore, ut ipsius opibus atqve auxilio aditus sibi
 ad Regum Indorum amicitiam & expetita commercia patefieret.
 Hòc ille consiliò certos homines ad explorandas Indicas & Æthio-
 picas

ipicas res destinavit, qui ob sermonis imperitiam rei difficultate
deterriti, cum Hierosolymis infecto negotio rediissent; duos
denuo Arabicæ lingvæ peritos, *Petrum Covillanium & Alphonsum
Paivam*, ejusdem rei causâ dimisit, cum istiusmodi mandatis ac
litteris, ut alter alterius Provinciam, si res ita ferret, posset occu-
pare. Ii Alexandriam delati, Memphim inde Mercatorum
habitu petiere, atque inde per sermonis Arabici Symbola, cum se
Mahumeticis viatorum turmis facile miscuissent, Adenum inco-
lumes pervenere. Hic munera sic inter se partiuntur, ut alter
Abassinum adeat Regem, alter Indica perlustret emporia; ac re-
bus demum peractis, Memphim rursus ambo conveniant. Hæc
inter ipsos, neutro discrepante, condita, verum à digressu longè
dispar fuit utriusque exitus. *Paiva* in Abassinos profectus, an-
tequam Regiam attingeret, incertum quò genere leti defunctus
est. At *Covillanius* felici navigatione ad Indos delatus, totam
illius commercii rationem didicit. Quapropter revisendi Socii
cupidissimus, cum ad præfinitum tempus Memphim se contu-
lisset, repente ab amicis fit certior, *Paivam* ipsò profectio-
nis initio diem obiisse. Percussus tam inopinato nuntio *Covillanius*,
licet in Patriam redire vehementer optaret; tamen quòd probè
compertum habebat, quantò *Johannes* rerum Æthiopicarum
studio teneretur, suas vel rationes, vel desiderium Regiæ volun-
tati posthabere constituit, & *Paiva*, quem in ipsò rerum aditu
mors oppresserat, vicem subire maluit, ut initâ cum Abassinò
Societate, cognitòq; illius imperiò & institutis, cuncta postmo-
dum certa ipsemet in Lusitaniam referre posset. Vid. *Alvar. Itin.
Æthiop. C. 103.* nec non *Maffej. Histor. Indic. Lib. I. p. 39. seqq.*
Cum itaque *Covillanius* Abassiam intrasset, & multa apud Regem
Abyssinum reperisset, quæ de vero *Presbytero Jobanne* constanti
famâ apud Europæos percrebuerant, vel ipse credidit illum
ipsum esse, qui *Presbyter Job.* dicebatur, vel saltem errori vulgari
occasionem præbuit, rebus nondum satis exploratis. Hic igitur
primus fuit, qui Abassinum Imperatorem eò cœpit nomine ap-
pellare, quem deinde cæteri imitati, qui post eum Æthiopiam
ingressi sunt, eundem errorem facile in Europam invexere. Vid.
Godign. l. c. Licuit ergo nobis hætenus, & licebit impostèrum,

quoties libitumerit, idem jam communi usu detritum usurpare
vocabulum, cum de Abassino loquemur.

X. Atque sic constare puto, & quid de vero PRESBYTERO
JOHANNE habendum sit, & quò errore nomen istud ad Regem
Abassinum transferit. Ut autem PRETIOSUM JOHANNEM
quidam appellarent, ansam dedisse videtur *Damianus à Goës* quæ
verba *Zagazabo* in *Confess. de Fid. & Relig. Æthiop. p. m. 517.*
ita interpretatus est: *Quòd si libeat sciscitari de cognomine nostrò
Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum perpetuò appellari Pre-
tiosum Johannem, & non Presbyterum Johannem, ut hic falsò
passim jactatur: Scribitur enim nostrò sermone JOHANNES
BELUL, hoc est, Job. Pretiosus sive altus, & in Chaldaicâ lingvâ
scribitur Johannes Encœ, id si interpreteris, etiam Johannis pre-
tiosi sive alti significatum habet. Certè nec BELUL, nec EN-
KUY pretiosi significatum habet; hoc enim gemmam notat, vid.
Ludolf. Lexic. Col. 341. Wemmers p. 224. quamvis uterque mo-
neat, addi ut plurimum KYBBYR pretiosum. Illud prorsus
ignotum est Lexicographis, videtur tamen ex LUL, quod
margaritam sonat, vid. Ludolf. Col. 21. 182. 341. additò Bet ortum
esse. Malè ergò *Damianus à Goës* BELUL & ENKUY pretio-
sum interpretatus est. Nec apparet, quomodo nomen JOHANNIS
huc quadret. Abassini enim Johannem non per JAN (pronunciatò
Jod more Gallico) efferunt, sed per *ጋጋጋ*. Cùm tamen JAN sonò
accedat ad Hispanorù & Lusitanorù JUAN fortè eò ab interprete
tractum est. Communiter aliàs Æthiopicum Regis Abyssini cogno-
mentum GIAN BELUL esse dicitur. *Gian* verò ex mente *Hornii*
O. A. L. III. c. 14. p. 194. Abyssinis idem est, quod Tartaris *Cam*,
quò titulò summus tantùm Imperator insigniri solet: juxta *Au-
ban. I. Descript. mor. var. gent. 4. p. 30. potentem* significat. Sed
meliolem fortè *Joviò* interpretem non habebimus, qui linguam
Abyssinam à *Petro* quodam Abassino didicit, & aliquot Æthio-
picas epistolas, insertas opusculis *Damiani à Goës*, Equitis Lusi-
tani (quæ unâ cum *rebus Oceanicis & Legatione Babylonica à Petri
Martyris* Colonie prodierunt anno superioris seculi LXXIV.)
Latinè reddidit: *Is Belulgian incomparabilis præstantiæ immensiq;
pretii gemmam significare* Author est *Lib. XVIII. Hist. p. 385.* (quam
signifi-*

significationem voci ENKUY convenire supra diximus.) Ex
Gian Jobannis nomen habet Abassino, non ex Caben, quod Sacer-
dotem Hebraeis notat, uti Angelus à Roccha de Cantarino in Biblio-
theca Vaticana falso putavit, referente Horn. l. c. p. 229.

XI. Verum & hanc appellationem suspectam reddere cona-
tur Godignus l. c. reprehendens Abassinos, quod cum primum in
Europam venissent, & Imperatorem suum Presbyterum Johannem
vulgo apud nos vocari agnoscerent, speciosum titulum, quamvis
errore attributum, retinere cupientes, multa & varia ex propria
lingua quaesierint vocabula, unde illam Presbyteri Johannis appel-
lationem assererent derivatam. Quidam, inquit, finxere Belul-
gian, alii Beldigian, voces alii alias, ex quibus Presbyteri Joh-
nomen irrepsisse affirmarunt. Ex iis, qui primi Belulgiani vocem
in hac loca inducere, unus fuit Zagazabus, Aethiopici Imperatoris
ad Job. III. Lusitaniae Regem Legatus. Alter eodem tempore Pe-
trus quidam Abassinus, qui Franciscum Alvarum Lusitanum Sacer-
dotem ad Clementem VII. ab eodem Imperatore missum, in Italiam
est comitatus. Prior ille Damianum à Coëz, hic posterior Paulum
Jovium in errorem induxit, dum à nobis pro Belulgian Presbyterum
Johannem dici affirmabant. Sed & vocem hanc Belulgian aiebant
ex duabus esse dictionibus compositam, quarum prima, quae est
Belul, pretiosum, altera Johannem significat, ac si nomine ipso vel-
lent indicare, nihil in orbe esse Abassinorum Imperatore pretiosus.
Similiter Hottingerum Topograph. Eccles. C V. p. 124. hunc titulum
ad fastum compositum esse judicat, suspicans, quod Zagazabo,
ut majorem sibi apud Lusitanos conciliaret auctoritatem, Regem
suum non quidem Presbyterum Johannem, levi tamen immutatione,
ut idem esse videretur cum antiquiori illo, cujus annis trecentis, an-
tequam ulla cum Abassinis & Aethiopibus Europaei exercerent com-
mercia, notum erat regimen, Johannem pretiosum vocaverit. Sed
nihil afferunt praeter inanes conjecturas.

XII. Ex adverso Jovius vocem BELULGIAN pro veteri
Regum Abassinorum cognomento habet: magnus, inquit l. c.
Abyssinorum & Aethiopum Rex, qui à nostris corruptè dictus est Pre-
regian, à suis Belulgian appellatur: quod est vetus cognomentum,
usurpatum à Superioribus Regibus. Imò novus quidam Author (ita

eum appellat *Godignus*, parcens nomini ob ordinis reverentiam) ap. *Godign.* adeò antiquam censet appellationem istam, ut celeberrimæ illius *Sabæ Reginae* etatem superet: in *Amara* enim, nobilissimo *Æthiopia* monte, vetustissima reperiri monumenta literarum scribit, in quibus *Abassini* Imperatores ante ejus *Reginae* ortum, hoc jam titulò insigniri essent soliti. Mihi nec tituli istius vetustas probatur, nec ramen sine fundamento confictus esse videtur. Solent *Abassini* Regibus suis, tempore inaugurationis, boni ominis causâ cognomentum quoddam, in linguâ vulgari significativum, acclamare, quod nomen regni vocant, idq; plerumq; prævalet nomini in baptis- mate suscepto, observante *Ludolfo* in *Notis ad Confessionem Claudij*, Regis *Æthiopum*, quam in calce *Lexici Æthiopici* exhibuit. *David* ergò ille, sive *Rex Abassinorum*, à quò *Zagazabo* missus erat, cognomento *Wanag Saged*, quod gemmam pretiosam significat, designabatur, uti constat ex *Confessione Claudii*, *Davidis* Filii. Unde verosimile est, quod *Zagazabo* per suum *Gianbelul*, quò itidem inestimabilis pretii gemma denotatur; regium *Davidis* cognomentum exprimere voluerit.

XIII. Demique sciendum, in more positum fuisse Regibus *Æthiopicis*, ut sub ipso regiminis auspicio, præter nomen baptis- male assumant aliud quoddam, uti videre est apud *Dam. à Gœs* p. 464. in literis ad *Emanuelem Portugalliæ Regem*, quas sic orditur *Rex David*: *has literas mittit Athani Thingil, id est, eius virginis, quod nomen est à baptis- mate, nunc verò in ipsò suscepti regni initio assumpsit nomen David.* Conf. p. 471. 483. Huic denuò aliud superaddunt subditi, boni ominis causâ, ut §. præced. dictum est. Plura adhuc nomina sibi vindicat *Abassinorum* Imperator, ad indicandum vel originis præstantiam, unde se vocat *cognatum stirpis Judæ, Filium Davidis & Salomonis*, vel religionis studium, propter quod præclarum *COLUMNÆ fidei* titulum affectat; vel imperii amplitudinem, quam satis prodit *Rex David*, in literis ad *Emanuelem & Johannem III. Portugalliæ Reges*, ubi se appellat *Imperatorem magnæ & altæ Æthiopiæ, magnorum regnorum, ditionum ac terrarum, Regem de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangve, de Goyane, ubi Nilus oritur, de Damaraa, Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne*

Vagne, de Tigrimabon, de Sabaym, ubi fuit Regina Saba, de Bernagaës, & Dominum usq; ad Nubiam, finem Ægypti: quorum uberiores explicationem futuræ tractationi reservabimus. Nunc saltem ob argumenti similitudinem, quibus subditi nominibus innotuerint, indicabimus.

XIV. Ipsi eodem, quò nobis noti sunt nomine, se vocant ITHIOPIAWIAN, teste Scalig. de Emendat. Temp. L. VII. p. 680. quod sensu non distat à Græco ÆTHIOPUM, sic dictorum vel ab ÆTHIOPE Vulcani Filio (vid. Plin. Hist. Nat. L. VI. c. 30.) vel ab adusto vultu, quod sint αἰθίοργοι τὸν ὄψα, nisi malis cum Hornio in Notis ad Sulpit. Sever. L. I. p. 242. ex Agopt Ægyptus, difficili μετὰ θεοῦ factum esse Æthiops. Verùm hoc nomen latissimè patet, eò namq; complectimur, quicquid populorum colore noctis tingitur. Magis propriè nostri appellantur ABASSINI, Abaseni, Abasseni, Abissini, Abyssini, Habesseni, variâ unius ejusdemq; vocis flexione & scriptione. Ortum creditur nomen ab Ægyptiorum Avasibus, de quibus eruditè Bochartus IV. Phaleg. 29. p. 320. Ἀβάσις Ægyptii vocant habitationes, quæ sunt in medio deserto, voce compositâ ex ἄσι, & ἄβα. ἄσι desertum, ut ἄσι & ἄβα est habitatio, unde plurale ἄσι Num. XXXII. 41. Arabicè ἄβα est ambire, & ἄβα multa domus Arabum tanquam in orbem digesta, ut sit: nam ἄβα urbs est ab orbe, & πόλις ἀπὸ τῆς περιῆν. Ergò ἄσι Ἀβάσις propriè est ambitus domorum, id est, villa vel oppidum in loco siticuloso, aut potius habitatio, quam ambiunt loca siticulosa. Quomodo Græci definiaverunt, quàmvis vim vocis ignorent. Strabo de Africa lib. II. εἰκῆα παρδαίλει. Κατάσικτος γὰρ ὄσι τῶν οἰκήσεων περιεχομένης ἐρήμω καὶ ἀνύδρω γῆ. Καλῶσι δὲ τὰς τοιαύτας οἰκήσεις Ἀβάσις οἱ Ἀιγύπτιοι. Pardali est similis: interpuncta enim est habitationibus, quæ circumdantur terrâ desertâ & siticulosâ: tales autem habitationes Ægyptii vocant Avases. Et lib. XVII. Ἀβάσις δὲ οἱ Ἀιγύπτιοι καλῶσι τὰς οἰκιστάς χωρὰς, περιεχομένης κύκλω μεγάλας ἐρημίας, ὡς ἀνὴσος πελαγίας. In Strabone legunt Ἀβάσις, Ἀβάσις rescribit Casaubonus ex Stephano, in Ἀβάσις: quod probatur Bocharto l. c. Paulò aliter Golius apud Hornium in Notis ad Sulpit. Sever. l. c. qui vocis istius incunabula quarit in Arabico ἄβα quod est promiscuè congregare.

Fama

Fama namq; est, Abasinos, quò nomine in uniuersum Pretejanis subditi appellantur, teste Jovio l. c. p. 183 agmine factò, ex Arabia in Africam trajecisse. Et certè ΑΒασινοὶ collocantur in Arabia ab *Uranio* ap. *Stephanum*; unde verosimile est, eos in Africam, trajectò sinu Arabico, commigrasse, quod nullò negotiò fieri potuisse docet *Bochartus* L. II. c. 23. p. 143. Nimis verò dilutum est, & lingvarum inscitiam arguit, quòd nonnulli Abasie vocabulum deducunt ab urbe Regia Æthiopum, dicta Ptolomæo *Auxime*; sicut & illud, quòd aliis ab *Abato*, nonnullâ literarum mutatione, ortum videtur. Ajunt verò, *Abaton* terræ plagam significare, aurò, argentò, gemmis, rebusq; aliis pretiosis abundantem, civium nobilitate & præstantiâ insignem, ædificiis illustrem, & omnium optimarum rerum copiâ affluentem. Talem demum eam regionem esse dicunt, quam *Abasiam* vocamus. Vid. *Godign.* l. 1. de *Reb. Abas.* c. 2. Quibus verò placet Arabicâ, Turcicâ, & Æthiopicâ lingvâ idem *Abasiam* esse, ac gentem liberam, quæ nulli unquam externo Principi servierit, nullis fuerit armis subacta, nullius Tyranni sub imperium missa, iis fortè errandi occasionem præbuit, quòd Æthiopia in tabulis Geographicis appellatur *AGOAS*, quam vocem *liberam regionem* denotare diximus §. 1. Veniunt insuper Abasini, in Sacris quidem *Chasæorum* & *Ludaorum*; apud reliquos scriptores *Meroitarum*, *Auxumitarum*, *Indorum* &c. nomine, quorum nudâ recensione contenti esse cogimur, cum angusta chartæ spatia, quibus lege publicâ includimur, justam eorum exegefin non capiant.

COROLLARIA.

I.

Datur peculiaris Disciplina, quæ rationem docet conficiendæ historiæ, contra *Zabarellam*.

II.

Color ille noctis, quò tinguntur Æthiopes, non est à Sole, ut vulgò creditur.

III.

Vox *HOMOUSII* non est recens Patrum Nicænorum inventum.



05 A 2497

ULB Halle 3
004 545 222




Sb

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

7.

1 90

IMPERII
SINI,

Sub
JOHANNE,

vice
Johann/

r.
PRIMA,


dam sistunt
ES

IS LÜDERS,
NSIS,

ENS
STOPH. Scharff/
NUS.

in Audit. vet.

22. Mar



RGÆ,
debat Daniel Schmah.
Io Ioc LXXI.